



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 45. Pro festo huius Sanctiſſimi Sacramenti, & vt cum spiritu
supplicationi eius festi intersimus.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

coniungere amoris vnitione, donec sim vnum
ecum in æterna gloria Amen.

MEDITATIO. XLV.

PRO SOLEMNITATE
Sanctissimi Sacramenti: & pro per-
agendis cum Spiritu Procef-
sionibus huius diei, &
eius Octauis.

PVNCTVM I.

ONSIDERANDVM primò,
quod Christus Dominus noster
in hoc Sacramento veniat in
nostram terram, ad renouan-
da quæ fecit, cum in ea versa-
re-
recur.

PERPENDENDVM ergo est primùm,
quomodo Christus Dominus, cum in terris
degeret, deambulauerit per omnes plateas &
fora Iudæ & Galileæ, & per Synagogas &
priuatas domos, & in ipso templo Ieroly-
mitano, benè faciendo omnibus. sic enim S.
Petrus ait de eo, *a qui pertransijt benefaci-
endo, & sanando omnes oppressos à Diabolo,*
*quoniam Deus erat cum illo, non solum per gra-
tiam, sed per vnitatem personæ; & bonum
quod faciebat, erat in omni genere rerum,*

I.
a Actuum.
10.38.

exercens varia officia, quæ supra retulimus; ita ut quocumque iret, vestigia relinqueret suæ diuinitatis & omnipotentia; immense charitatis & misericordia.

II.

EADEM ratione cogitabo, quod Christus Dominus noster, in Sanctissimo hoc Sacramento ambulet, ac discurrat per templa, fora, & plateas Christianorum, bene faciendo omnibus, qui viua fide Deum accedunt; confitendo illum, adorando, & toto corde laudando. Nam & nunc Sanctissimum hoc Sacramentum pertrahit beneficiendo & sanando oppressos à diabolo; quoniam Deus est in eo, & ita communicat illis omne genus bonorum, cum splendoribus cœlestis suæ lucis, & inspirationibus diuini sui Spiritus, docens eos tanquam Magister; sanans tanquam medicus, parcens sicut Saluator, & pascens tanquam Pastor, proprio suo corpore & sanguine. Et quamuis hæc omnia copiosius illis largiatur, qui ipsum sumunt, aliquam tamen partem etiam illis impertit, qui fide viua ipsum aspiciunt, adorant, & glorificant.

III.

HOC ergo Spiritu comitari ipsum debeo in processionibus, sicut fuisset comitatus, cum ille viueret in carne mortali, si habuissem eam fidem, quam nunc habeo; sicut plebs deuota comitabatur illum, & sequebatur Saluatorem, ut eius dulci societate frueretur.

O dilecte mi, gratias tibi propterea, quod ita ex instituto volueris nobiscum manere:

qui et si

qui etsi tuam habitationem habes in Coelis, lætitia eos replens; vis tamen etiam in terra nostra manere, implens fora eius & plateas tua misericordia. Siquidem ergo tam es potens sub isto velo, atque es in ipso Cœlo, & antea eras in terra; veni nunc ad pauperem hanc animæ meæ habitationem; deambula per omnes eius potentias & sensus, benefaciendo omnibus, vt omnes tibi seruiant, & æternum glorificent. Amen.

PUNCTVM II.

DEINDE considerandum, quòd velic Christus Dominus spiritualiter nunc renouare solemnem illum ingressum in Ierusalem, in die Palmarum. tunc enim ingressus est Ierusalem *mansuetus, & humilis, sedens super asinam, & pullum filium subingalis*; ad quem excipiendum exijt plurima hominum turba, quia magno applausu in processione illum ducebant, & *sternebant vestimenta sua* a Matt. 21. 5 in via, vt per illa transfiret; alij autem cedebant ramos de arboribus, & *sternebant in via*; b alij b Ioan. 12. accipiebant ramos palmarum, & omnes clamabant dicentes; *benedictus qui venit in nomine Domini*, b Rex Israel, a *hosanna in altissimis*.

Quem adeo solemnem ingressum fecit Christus Dominus, tum vt ostenderet, quantam animi sui voluptate (quantum erat in se) inter illos maneret, etiam si multi illum per-

P. 4. Med. 3.

II.

sequerentur & male haberent; tum etiam
eius Discipuli; & plebs deuota, externa illa
signa fidei, amoris, ac pietatis & deuotionis
erga ipsum darent. Et ob alias denique cau-
sas, quas suo loco posuimus.

E A D E M nuncratione vult ipse deferri
per plateas, & fora Ecclesie, ingenti pompa
& maiestate. Est ipse in hostia sacra mansue-
tus, humilis, & velo illo coopertus, ac nu-
be leui, accidentium panis; omnes tamen
fideles, & Ecclesie Principes, honori sibi du-
cunt, si illum comitentur, exornantes plate-
as ramis, & pretiosis peristromatis, portan-
tes faces & luminaria, adhibitis cantoribus,
& varia musica lætitiæ, celebrantes eius in
mundum aduentum, maxima pompa & ho-
nore externo, qui possit ei in terra exhiberi.
Propter quæ omnia, & lætari & exultare de-
beo: si enim de honore illo gaudeo, exhibito
eidem Domino in die Palmarum, quamuis e-
ius exitus fuerit maior ignominia; quanto
magis exultare debeo ob honorem, quem om-
nes nunc ei deferunt, qui dirigitur ad ma-
iorem eius gloriam.

III.

M O X perpendam, quod Christus Domi-
nus noster solemnem hanc pompam ita di-
sponat, vt nobis aperiat, quam libenter no-
biscum maneat; & se nec defatigatum esse,
nec tædio affectum, quamuis multa sint pro-
pter quæ sic affici possit; cum apud multos
peccatores male sæpe habeatur, qui indignè
communicant, aut Sacrum Missæ indecenter

offerunt.

offerūt. Et quāuis meritò de huiusmodi illata
 ipsi iniuria dolere debeat, laudabo tamē illū
 simul, eò quòd non idcirco cum peccatoribus
 esse defatigetur, quòd iustis & pijs beneficiat.

IV.

Ex quo magnum concipiam desiderium,
 ut omnes cum magno spiritu, ita has proces-
 siones celebremus, ut ipse Christus Dominus
 noster, honore hoc, quo illum prosequimur,
 valde delectetur. neque enim satis sibi esse
 existimat habere nudam istam & externam
 pompam, quæ caret Spiritu & pietate interna.
 O dilecte mi, si omnes sterneremus vestimen-
 ta nostra super terram, ponentes omnia no-
 stra ad pedes tuos, ut pro libitu de illis statu-
 eres! Utinam omnes profunda humilitate se
 in terram prosternerent, permittentes se ab
 omnibus humiliari & calcari; ut tu ab omni-
 bus exaltareris ac glorificareris: Utinam om-
 nes, palmas in manibus gestantes, te comita-
 remur, obtentis, de hostibus nostris, gloriosis
 victorijs, quarum gloriam tibi soli tribuere-
 mus: Utinā omnes magno te Spiritu laudaret,
 & gloriā tibi darent, ob continuas victorias,
 quas refers quotidie per sanctissimū hoc Sa-
 cramentū, desiderantes, totū mundū earū esse
 participē. lauda, anima mea, & glorifica hunc
 Dominum, quando eum comitaris, aut eius
 præsentie assistis, coniungens canticum Sera-
 phinorum, cum illo altero Hebræorum, di-
 cens cum magno spiritu; *Sanctus, Sanctus, Sā-
 ctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt Celi &
 terra gloria tua, Hosanna in excelsis, benedictus*

*Ecclesia in
Præfatione
Missæ.*

*qui venit in nomine Domini Hosanna, salua
nos, in excelsis Amen.*

PUNCTVM III.

TERTIO est considerandum, Patrem æternum his adeo honorificis processionibus, velle reddere præmium in terris, ignominiosis illis processionibus, quas habuit filius eius Dominus noster, in nocte & die suæ passionis, per plateas, & fora Ierusalem.

I.

PERPENDENDVM ergo, qua ratione tunc ab horto Gethsemani, iuerit ad domum Annæ & Caiphæ, deductus à ministris ligatus, cum facibus, & laternis, hastis, & gladijs, & cum magno strepitu militum, qui triumphū agebant de ipso victo, illum subsannantes; & altero die, eadem ignominia, ab vna domo ad alteram, & ab vno ad alterum tribunal deduxerint, donec exijt in montem Caluarium, baiulans sibi crucem, præcone proclamante, quæcunque illi adferrent ignominiam, vbi tandem fuit collocatus in horrendo throno crucis, inter duos latrones, multis eum blasphemantibus, & maxima ignominia & crudelitate subsannantibus.

II.

In Præmium itaq; harum processionum, vult Pater æternus, filium suum his processionibus, in terra honorari ab omnibus, deferentibus faces, & alia luminaria in manibus; in signum, quod ipse sit lux vera, quæ illuminat mundum vniuersum; & comitantibus fidelibus militibus suæ Ecclesiæ, cum concæu musico hymnorum & laudum; & quem Sacer-

dotes

dores in humeris gestant; & in præparatis
 magnæ Maieſtatis Thronis collocant, cui om-
 nes genua flectunt, & tanquã suum Deum ac
 Redemptorem adorant; mandante omnibus,
 Patre ut id faciant, multò efficacius, quàm
 Rex Assuerus mandauerit, honorari Mardo-
 chzum, deducendo illum cum magna pom-
 pa, per omnes plateas ciuitatis, exclamanti-
 bus ipsius Regis familiaribus, *a sic honorabi-*
tur quemcunq; voluerit Rex honorare. O Pater
 æterne, gratias tibi ago pro honore, quem vis
 exhiberi Filio tuo vnigenito in terra, in præ-
 mium dedecoris, quo in eadem fuit affectus.
 O dulcissime Redemptor, gaudeo de honore,
 quo te hodie afficiunt fideles tui serui, quem
 optimè es promeritus, ignominijs, quas pro
 illis sustinuiſti, ego flecto genua ante hunc
 thronum, in quo tu sedes, in Sanctissimo hoc
 Sacramento, meamq; coronã, & quidquid ha-
 beo, ad pedes tuos proijcio; dicēs cū illis seni-
 oribus *b dignus es Domine Deus noster accipere*
gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu crea-
ſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, &
creata sunt.

a Ester 6.9.

b Apoc. 4.11

III.

HINC INTELLIGAM, quam fit fidelis
 Deus in reddendis præmijs, etiam in hac vita
 ijs, qui illi seruiunt, in eadem re illos exal-
 tans, in qua ipsi se humiliarunt. & si ego Chri-
 ſtum Dominum in hoc Sacramento veneror,
 ille etiam me honorabit; sicut si irreuerenter
 eum illo agam, ero etiã inhonoratus. ad quod
 reuocare in memoriam historiam c

c 2. Reg. 14.

c 2. Reg. 6.

14.

Arca Testamenti, quam David duxit in processione, maximo Sacerdotum & Leuitarum comitatu & totius populi, in magno iubilo, & in clangore buccinae, ubi David saltavit totis viribus ante Dominum, & quamvis Michol dispexerit eum in corde suo, illum tamen non pœnituit facti, sed statuit potiùs se humiliare, & vilior fieri plusquam antea fuisset. Contra verò Oza, qui temerè & irreuerenter eandem Arcam tetigit, repente idcirco mortuus est: ut intelligam, si hoc Sanctissimum Sacramentum irreuerenter tractauro, me fore castigandum sicut Ozam; eoque supplicium severius in me futurum, quò maiorem reuerentiam ei debeo exhibere, qui illà dignior est quàm fuerit Arca. quòd si verò reuerenter egero, & honorem, sicut David exhibuero, pulsans & saltans in iubilo cordis, & in affectibus amoris; me ipsum humilians, & vilior in eius præsentia faciens, nihil curans, quod homines contra hoc dixerint, ille me honorabit in terra, & multò magis in cælo. Verùm ego, gloria mea, maiorem honorem nolo, quàm te honorare: tuus honor est meus; & illud mihi honori tribuo, quòd tu omnibus sis honori. quòd si honori tuo aliquid accedit ex meo dedecore, illud ego pro summo honore meo ducã, ut glorificẽ te, qui dignus es infinito honore & gloria, in æternum Amẽ.

PUNCTVM. IV.

QVARTO est considerandum, Christum D N. velle sibi fieri in terra solemnem aliquam

aliquam celebritatem, sicut fit in cælo: vt hac ratione benedictiones è cælo in terram descendant.

PERPENDAM ergo, hunc Dominum esse in cælo, Angelis & Sanctis stipatum, qui continuè diem festum ei celebrant; & alij quidem, sicut viginti quatuor seniores, mittunt coronas suas ad pedes eius, dicentes quod ille solus sit dignus honore & gloria; alij, sicut quatuor animalia, requiem nõ habent, sed die ac nocte dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est; alij offerunt phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & quisque suo modo eum glorificat, & cantica offert laudis & gratitudinis. Ita vt dicitur per vicus & plateas celestis illius Ierusalem, semper cantetur Alleluia, & e gaudium ac letitia, gratiarum actio, & vox laudis inueniatur in ea.

Et quamvis hoc ita sit, delectatur Christus D.N. descendere ad villam nostram in Sanctissimo hoc Sacramento; vultque vt nostro modo thronum illi constituamus, festaque quamuis agrestes & pagani; agamus, imitantes pro viribus aulicos ipsius cœlestes: nam ipse non suum in hac re commodum quærit, sed nostrum, vt hac ratione ostendentes amorem quo illum prosequimur, occasionem habeat nos honorandi, & magna bona conferendi: ideoque ad imitationem beatorum, debeo illum honorare tribus præcipue affectuum generibus.

I.

a Apocal. 4.

11.

b c. 4. 8.

c cap. 5. 8.

d Tobia 13.

22.

e Isaiæ. 51. 3.

II.

PRIMVS affectus est **HVMILITATIS**,
 vt sicut illi seniores, spoliem me omnibus
 quæ habeo, & fatear nihil esse meum, sed ip-
 sius; demque illi de omnibus gloriam. **SE-**
CUNDO affectus est **VIVAE FIDEI**, magni-
 tudinis illius, & muneris, cuius causa venit,
 posteaque venturus est, ad nos iudicandos;
 quem, sicut quatuor illa animalia, laudabo
 propter Sanctitatem & Omnipotentiam, propter
 suam æternitatem & immutabilitatem,
 & quod nunc veniat ad me saluandum tan-
 quam Pater, qui postea est venturus ad me
 coronandum, sicut iudex.

TERTIVS affectus erit **OBLATIONIS**,
 quo illi offeram phialam cordis mei, perfe-
 ctissimo charitatis auro inauratam, plenam
 thure feruentium orationum, cum myrrha
 mortificationis mei ipsius, dissoluendo me
 ipsum in igne amoris, vt bono sim odori
 huic Domino, cui debeo festum exhibere me-
 liori quo potero modo, admirans quod is Do-
 minus, cui tanta festa in cælo exhibentur, di-
 gnetur etiam ac delectetur festis, quæ illi ex-
 hibentur in terra; sicut Rex qui postquam fe-
 stis interfuit, quæ in Aula eius exhibebantur,
 delectatur ad ea accedere, quæ in pago aut
 villa peraguntur. Mihi que persua debo, quod,
 sicut Christus D. N. propter noua obsequia,
 quæ illi exhibentur in cælo, dat ibi noua gaudia
 accidentaria; ita præmijs sit affecturus seruitia,
 quæ iusti exhibent illi in hisce festis terra, no-
 uis gratijs & augmēto virtutū illos cumulādo.

O Rex

O Rex supreme, si liceret ex terra facere caelum, sanctificando nomen tuum, & faciendo *Mat. 6.*
voluntatem tuam in hac valle lacrymarum, *10.*
 sicut faciunt Spiritus beati in suo paradiso deliciarum! certus enim sum, quod tunc vallis lacrymarum, esset mihi vallis consolationum: & paradysus deliciarum, veniens ad vallem lacrymarum, conuerteret planctum meum in gaudium, & impleret me læticia. *Adueniat Rex meus, regnum tuum ad me; & siquidem tu es mecum in Sacramento, acue fidem meam, & accende me charitate tua, vt te agnoscam ac diligam, ita vt tu regnes in me, & ego fruatur te, regnanst tecum in Regno Patris tui in æternum. Amen.*

MEDITATIO XLVI.

DE PATERNA DEI PROVIDENTIA in distribuendis statibus & officijs, prout cuique expedit magis ad salutem.

PUNCTVM I.

PRI MO considerandum, quodd Deus Dominus noster eminenter sit a noster Pater, geratque hoc munus erga nos infinities *a Mt. 23.9.*
 melius, quàm omnes terreni Patres; qui cum illo comparati, non merentur hoc nomen. ex quo fit, vt non solum creet ac
 gene-